

Gadolla 20
SPECIMINIS ACADEMICI,

DE

SENSU MORALI,

PARS POSTERIOR,

CUJUS

PARTIC. PRIOREM,

CONS. AMPLISS. FACULT. PHILOS. IN REG.

ACAD. ABOENSI,

PRÆSIDE

Mag. FRANC. M. FRANZÉN,

Phil. Pract. & Hist. Prof. Reg. & Ord.

PRO EXERCITIO

BUBLICO SUBJICIT EXAMINI

CAROLUS PLANTIN CAVANDER,

Borealis.

IN AUDITORIO MAJ. D. XXI JUN. MDCCCIV.

Horis ~~2~~ m. consuetis.

ABOÆ, typis FRENCKELLIANIS.

SPECIMINIS ACADEMICI
De
ZENVSU MORALI

Mag. FRANC. M. FRANZEN
Mag. FRANC. M. FRANZEN
Mag. FRANC. M. FRANZEN
Mag. FRANC. M. FRANZEN
Mag. FRANC. M. FRANZEN

CAROLUS PLANTIN CAVANDER
CAROLUS PLANTIN CAVANDER
CAROLUS PLANTIN CAVANDER
CAROLUS PLANTIN CAVANDER
CAROLUS PLANTIN CAVANDER

IN AUDITORIO MAG. D. XXI JUN. MDCCCIV
IN AUDITORIO MAG. D. XXI JUN. MDCCCIV
IN AUDITORIO MAG. D. XXI JUN. MDCCCIV
IN AUDITORIO MAG. D. XXI JUN. MDCCCIV
IN AUDITORIO MAG. D. XXI JUN. MDCCCIV

IN
SACRAM REGIAM MAJESTATEM
SPECTATAE FIDEI VIRO,
SACRO SANCTAE THEOLOGIAE DOCTORI,
DIOECESIOS ABOENSIS ARCHI-PRÆPOSITO,
PRIMARIO AD REG. ACADEMIAM ABOENSEM
THEOLOGIAE PROFESSORI,
REGII ORDINIS DE STELLA POLARI MEMBRO,
MAXIME REVERENDO ET CELEBERRIMO
DOMINO
CHRISTIANO CAVANDER,

AVE MATERNE, SUMMA MIHI COLENDE
ANIMI VENERATIONE!

Cui a pueritia inde curam & educationem, cui & mo-
rum & studiorum meorum moderationem, cui innumera
& perpetua beneficia, cui novum denique nomen, pater-
nae

nae tuæ in me bonitatis testimonium, debeo, Tibi primitias oblaturus industricæ meæ Academicæ: respicias, rogo, non munusculi levitatem, sed pietatem datoris: qui non moris, jam obsolescentis, sed animi sui græte commoti sequens dictamen, Venerando Tuo nomine has pagellas insigniri voluit. Læta vigeat senectus tua, meque dignum semper reperiat, qui Tuo appeller nomine, Tuus dicar,

AVE, vel potius, PATER CARISSIME!

filius observantissimus

CAROLUS PLANTIN CAVANDER.



PROOEMIUM.

Specimen edituri Academicum, dissertationem de *Sensu Morali*, a Clariss. D:no Cand. C. M. Moliis inceptam, continuare instituimus. Cumque ille duplicem esse sensum moralem definiat, unum, qui moralitatem in actionibus (honestum objectivum), alterum, qui moralitatem in animo agentis (honestatem subjectivam) sentire facit; utrumque autem ab intellectus & rationis sive facultatis cognoscitivæ in pectus (*hertat*) vel facultatem sensitivam effectu esse derivandam contenderit: ad nos jam pertinet, id conspectu animi humani, ejusque virium & operationum, ostendere & confirmare. Cujus igitur rei juvenile facturi tentamen: eo mitiorem nobis speramus L. B. censuram, quo difficilius est intellectui, oculo quasi animi, se ipsum spectare, atque ita depingere, ut alienus etiam intellectus imaginem suam clare cognoscere possit. Quod a nobis nunc, eam quoque ob causam, imperfectius fiet, quod non nisi primas quasi lineas rei adumbrare nobis hoc tempore licebit.

C

§. VI.

§. VI.

Ut omnes naturæ vires, sic animi facultates non agunt, nisi externa excitatæ irritatione. Quomodo autem in animanti vel recens vel nondum nato, ex irritatione organica, quæ primos ejus motus haud dubie agit, mentalis oriatur irritatio, *Sui Conscientiam* (*Medvetande, Bewußtseyn*) efficiens: tamdiu intelligi nequit, quamdiu mens a se ipsa egredi & suum cum corpore nexum tertio quasi loco spectare non potest.

Sufficiet autem nobis, observasse: 1:0 *Sensationem*, cujus primitivæ sensui, quem *Vitalem* appellant, cujusque organon sunt nervorum per totum corpus extensorum intimi recessus, sine dubio debentur, originarium esse actum, quo mens se ipsam, ut patientem & agentem, sibi conscire cœpit: 2:0 primam sui conscientiam esse mere subjectivam, (animo scilicet nullo objectum percipiente, sed suam tantum sentiente passionem & actionem), atque ita obscuram, ut ne hanc quidem ab illa distinguat; ideoque 3:0 omnes animi operationes *Cognitionem*, *Sensum* (*Känsla, Gefühl*) & *Appetitionem* initio in una sensatione, animans a mortuo distinguente, convolutas quasi latere.

In hoc igitur statu, animum nil agere nisi physico ad bonum, & a malo, quod proxime e corpore, mediante sensu vitali, affluit, impetu commotum; frustra ideoque sensus moralis in mera sensatione quæri originem: facile constat.

§. VII.

§. VII.

Quamprimum autem sensibus uti externis mens incipit: 1:0 ad sensationem subjectivam accedit *sensatio objectiva* sive *Intuitio*, qua scilicet animus ad res extra se sibi occurrentes attenditur, in mundum externum quasi egrediens. 2:0 Conscientia sui ita clara sensim evadit, ut & subjectum ab objecto & passionem ab actione distinguat 3:0 Diversæ explicantur animi operationes: cognitio, sensus, appetitio. Infans v. c. splendidum videt objectum, ei arridet, idque manibus prehendere studet.

Quo facto, animi vis, etsi per se una eademque sit, nobis tamen diversam se exhibet: primum, formali respectu, vel *passivam* sive *receptivam*, quatenus mens se affici sibi conscit, vel *activam* sive *spontaneam*, quatenus ipsa reagit; deinde, materiali respectu, vel *cognoscitivam* (*kunskapsförmåga*), qua rem, ut objectum, extra subjectivam suam sensationem positum, mens sibi concipit; vel *sensitivam* (*känslöförmåga*) qua objecti in se effectum subjectivum, gratum vel ingratum discernit, illum conservare, hunc amittere studens: vel *appetitivam* (*begärförmåga*) (i), qua

C 2

spon-

(i) Neque latina appellatio *Appetitivæ*, neque germanum nomen *Begehrungsvermögen* satis idonea esse nobis videntur ad exprimendam potentiam illam animi, quæ realem parit actionem. Multa enim optamus, quæ tamen ipsi efficere minime volumus: mortem e. c. hominis nobis infestis. Multa etiam desideramus, quæ tamen præ-

sponte & actu extra se nititur, ut vel futurum ob-
jecti effectum præsentem reddat, vel ipsam objectum,
quod sibi concepit, reale efficiat.

Activam vero sive spontaneam animi vim non
modo ad appetitionem, sed etiam ad sensum (*känsla*)
& cognitionem pertinere: facile patet. Quamvis e-
nim & sensuum (*sinnen*) externorum objectivas im-
pressiones, & effectus earum subjectivas, & inde na-
scentes cupidines & causas extra se agendi mens pas-
sive recipiat: mox tamen sponte reagit, & cum ani-
mad-

infirmirate quadam animi non exsequimur: ea e. c., quæ
ad emendationem nostram moralem pertinent. Qua-
tuor igitur forte constitui possunt animi facultates: addi-
tis ad cognoscitivam & sensitivam appetitiva & effeciva
(*handlingsförmåga*). Potius, tamen, & rectius, ut no-
bis videtur, solitam servavimus distinctionem: ita scilicet
intelligendam, ut 1:o mera optata, quibus futurus obje-
cti effectus, ut gratus vel ingratus, animo anticipatur,
2:o omnia desideria, quæ nullum efficiunt realem cona-
tum, cum a nobis ipsis oppugnentur, 3:o omnes celeres
& momentanei animi affectus ad sentiendi facultatem re-
ferantur: (quod eo majori fit jure, quo certius constat,
& optata, & desideria, & animi motus e sensu grati &
ingrati necessarie oriri); appetitivam autem ea constituat
animi, sui consci, activitas, qua realem extra se ipsum
effectum, non nisi externa causa impediendum, producere
nititur; ad quam igitur pertineant cum permanentes cupi-
ditates (*passioner*), tum consilia agendi ex illis ne-
cessarie nata,

nimadvertit ac judicat, & cum voluptati vel dolori
indulgens optat vel timet, & cum cupiens vel aver-
sans extra se actionem suam extendere studet.

Valde diversam tamen esse spontaneitatem, quæ
cum libertate minime debet confundi, non in diversis
tantum facultatibus, sed in diversis etiam gradibus
earum, mox observabimus.

§. VIII.

Tres enim esse gradus animi virium, vel forma-
liter vel materialiter consideratarum, existimamus.
Formali respectu hi esse videntur. In primo sive *Sen-
suali*, e quo bruta animantia vix surgunt, subjectum
sponte quidem agit, seque ab objecto præsentem in sin-
gulo casu distinguit: sed neque a subjectiva sua vel
actione vel passione unquam se diversum cogitat, nec
nisi momentaneam sui unitatem sibi conscit; ideoque
non nisi præsentem & sensualem sequitur impulsus,
vel instinctu, vel expectatione casuum similium deter-
minatum. In altero sive *Intellectuali*, non ab objectis
tantum, sed etiam a subjectivis suis mutationibus mens
se ipsam distinguit, atque identitatem suam continuam
intelligens, personam se habet, pro arbitrio ex consi-
lio agentem. In tertio vero sive *ideali*, animus ratio-
nis exultioris compos sibi persuadet, se esse substan-
tiam per se existentem, ideoque non modo unam &
perpetuam, sed immortalem etiam, nec intellectualem

tantum eligendi arbitrio (*Willkühr*), sed absoluta præditam libertate, qua sensibilem transcendat mundum.

Materialis quoque respectus eosdem distinguit gradus. Scilicet cognitio, ideoque etiam sensus (*känsla*) & appetitio, quæ ab illa pendent, vel *sensualis* (*sinlig*) est, vel *intellectualis*, vel *idealis*: aut *observatione* aut *cogitatione* aut *meditatione* acquisita. *Observatio intuitione & notatione* constat. Illa sensationis (a corporeo derivandæ motu, ideoque successivæ) varia momenta primo apprehendens, deinde in unum comprehendens, id ut objectum extra conscientiam ponit; quo factò *notiones* (*föreställningar*) oriuntur: quæ, in initio *obscuræ*, non nisi umbras quasi rerum, extremis lineis definitarum, continent. Notatio autem, & discretionem & comparationem involvens, unum objectum ab altero notis distinguit; atque sic claras & distinctas reddit notiones, quæ plenam & propriam continent rei cuiusque imaginem. *Observatio* igitur, non nisi sensualem gignit cognitionem: cui individua & concreta respondent objecta, immediata intuitionem percepta.

Ad *conceptus* autem proprie dictos (*begrepp*) formandos, qui non res, sed notas rerum generales & abstractas intellectui exhibent, *cogitatione* opus est: qua animus ad se ipsum, in seque jamdiu collectas notiones, quas memoria & phantasia suppeditant, notandas, h. e. discernendas & comparandas, reflectitur: quo factò, secundum categorias sive conditiones

nes intellectus a priori datas, quantitates, qualitates, causæ ceteræque rationes rerum definiuntur: tales scilicet, quales experientia, mediante intellectu, eas ostendit; unde abstractio, iudicium & ratiocinium omnem illam hauriunt cognitionem, cui, etsi symbolice & intellectuali, externam tamen orbis sensibilis confirmat veritatem.

Meditatione denique *ideæ* finguntur *rationales*, quibus absoluti aliquid continetur, quod extra fines experientiæ excurrit, quod vero necessarie cogitandum est, ut ratio sibi ipsa consentiat (*k*).

Ceterum, ne male intelligamur, obiter tantum hic moneamus: Facultatem cognoscitivam esse vel *exhibitivam* (*företeende*), quatenus intuendi, notionesque conceptus & ideas conservandi, associandi, reproducenti, novasque producendi vim continet, vel *definitivam* (*bestämmande*), quatenus notandi, abstrahendi, iudicandi, concludendi potentiam involvit; atque illam partim activam, partim passivam, hanc vero totam
acti-

(*k*) A populari meditatione, in qua obscure tantum operationis suæ mens sibi conscia est, ratione scilicet ad se ipsam non reflexa, philosophica distinguenda est speculatio: quæ, crisi adhibita transcendentali, mentem omnem exuere materia cognitionis, nec nisi formas & leges ejus a priori existentes puras contemplari studet: ita veritatem idearum, quæ meditatione formantur, non minus quam notionum & conceptuum examinatura.

activam vel spontaneam esse. Unde facile elucet, sensum quoque & appetitionem, quæ a cognitione pendent, vel vagam esse, (apprehensione tantum, memoria & phantasia effectam), vel definitam, (judicio scilicet & ratiocinio determinatam).

Postremo autem observandum est, voluntatem (1) proprie dictam, sive liberam animi intra & extra se agendi facultatem, neque ad universam spontaneitatem, quæ in sensuali quoque activitatis gradu, ubi nulla sane est libertas, locum habet, esse extendendam; neque ad solam appetitionem restringendam: nam etsi appetitus imprimis a libera voluntate dirigendi sunt, sensus tamen & cognitio etiam ab illa eatenus pendent, quatenus de cogitatis quoque & animi affectibus moralis valet imputatio.

§. IX.

His e Psychologia depromtis principiis, ea jam ad consilium præsentis opusculi applicare voluimus: subjectivam scilicet moralitatem e relatione liberæ voluntatis ad facultates cognoscendi, sentiendi & appetendi; objectivam vero e relatione harum facultatum ad objecta extra animum posita derivaturi. Temporis vero angustia pressi, telam disertationis disrumpere cogimur.

(1) Ut voluntatis, sic intellectus & rationis ceterarumque animi virium nomina populari usu vagam acceperè significationem: unde multa in Psychologia exorta est confusio.